




155042

VD 17



24 23 6



ORATIO PA:
RÆNETICA AD

VIRTUTEM TEMPERANTIAM
excolendam paucis annis ab hinc in Genſa ſuo
discipulo fidelis institutionis, amoris, &
perpetuæ recordationis ergò perſcri-
pta, dedicata, & nuncupata;

NUNC AUTEM DENUO
RECOGNITA, ET PLURIBUS IN LO-
cis emendata, ac ſub celebriſſimi Gymnaſij Parteno-
politani inſpectione, tutela, & deſenſione Reverendo-
rum, & Clariſſimorum Virorum venerandi Mini-
ſterij Eccleſiaſtici; nec non Spectatiſſimi, Conſultiſ-
ſimi, & Ampliſſimi Senatus Magdeburgenſis typi-
tertiâ vice impreſſa, & ſuperioris ſubjecti nomi-
ne non mutato Schola ibidem diſcipulis pri-
mariis aſcripta, & dono data

PETRO PAVCKERO P.
MAGDEBURGI,

Apud Hæred. Andreae Gehnen, Anno 1610.

64



AD SCHOLASTICUM LECTOREM.



Ab hinc sunt novendecim, Christiane lector, dum sub celebris Gymnasij Partænopolitani Moderatore, & Rectore Humanissimo, Clarissimo & vigilantissimo Magistro Domino GEORGIO ROLLENHAGIO quondam Præceptore meo piæ recordationis venerando Terentianæ Comediæ publicè agebantur omnes, quarum ludis varij variorum hominum mores retroseculis Romæ communiter degentium per Partænopolitanæ Scholæ primarios discipulos representati fuere vestratum spectatoribus ad Ethnicorum hominum actiones censendas & dijudicandas, quæ sanè sunt motus ex diversis admodum qualitatibus promanantes & fluentes.

Verum cum actiones Seculorum non semper sint eadem, neq; ejusdem generis, sed successivè permutantur, Sicuti nec eorundem morum Scientiæ diu permanent, sed paulatim per tempora variantur, ut fieri solet, quod vna Scientia subinde perit, altera vicissim per novas paululum acquisitas qualitates succedit, juxta illud: Aliud tempus, alij mores. Hoc si quis non sentit, is variorum historicorum libris evolutis etiam multorum populorum mores pernoscatur, & statim hujus rei veritas ipsi elucebit.

Ne autem in hanc celebratam Scholam, è qua multa quondam beneficia accepi, & eruditâ Scientiæ peritiâ imbutus doctior evasi, planè existerem ingratus, par est, ut sub Reverendorum & Clarissimorum, Virorum Inspectorum; Et Spectatissimorum, Consultissimorumque tutorum, & patronorum nominibus vicissim documentari quid Reipublicæ literariæ referam

referam, oblatumq; typis excussum alumnis ejusdem
Scholæ exhibeam, non quidem, quod Terentianam, si-
ve Plautinam, sed illam Aristoteleam redolet scien-
tiam, quæ est de *Temperantia omnium reliqua-
rum Virtutum tum Intellectualium, tum Mora-
lium moderatrice & reitrice*, præsertim hoc re-
centi post Christum Salvatorem nobis natum subor-
to seculo decimo septimo, quod Christiano populo
sit seculum peculiare, seculum pietatis, & seculum
gloriæ divinæ, quod ob multarum rerum & actionum
vices, & commutationes subsecuturas Christiana &
studiosa Juventus gnæviter attendat, seq; ad Mode-
stiam, & reliquarum Virtutum reitricem Temperan-
tiam ritè præparet. Sit namq; hoc seculum septena-
rium, & requietum, ubi Chremes Terentianus in
Eunucho non amplius cum Thrasone pugnas misce-
bit, ac geret, nec Thraso gloriosus cum Thaide ulte-
riores concertationes tentabit & subibit, Sed mores
omninò placidos & tranquillos assument, & studere
virtuti Christianæ maximopere præsumunt, utpote
studiosissimæ Juventuti Scholasticæ imprimis licebit.

Idcirco vobis ludiliterarij Partænopolitani
Scholaribus primarijs solertiâ præditis egregiâ hanc
paræneticam Orationem, quæ crasso & illinito filo
est consuta, sub prioris subjecti nomine *μνημοσίνης* ergò
dono dedico, & ex hujus contentis ut aliquid frugi-
feræ Scientiæ ad bene agendum, feliciterq; inter ho-
mines vivendum capiatis, quod ad divini Numinis ac
Nominis Sacrosancti gloriam, atq; laudem, vestro-
rum usum fructum & proximi emolumentum ver-

A 2

gat,

gat, nihil est, quod nunc magis cupio & exopto.
Valete lectores candidi, & hoc donum, qualecunq;
etiam est, æqui, boniq; consulite, meiq; bene memo-
res estote.

V. ex animo

Petrus Pauckerus P.

AD NOBILEM LECTOREM.

Andrea, Andreae soboles Botfeldica Patris
En tibi Præceptor quæ documenta ferat.
Scilicet ut viridem placido moderamine vitam
Consumas, mirâ dexteritate docet.
Excole præscriptas summo conamine gnomas,
Ad propera ad pulcrum sobrietatis opus.
Ut pater insignis tuus est, insignis & ipse
Ingenij fies nobilitate tui.
Sic tibi ceu nitidû Ganymedis ad æthera rapti,
Parta pijs ausis gloria major erit.

Andreas Springer Pega:
RÆ ervio einæ.



ORATIO.



ORATIO.



TUUS DOMINUS PARENS antiquâ virtute, strenuitate, & nobilitate insignis & clarus, solertissime ANDREA, Adolefcens nobilissime, Tuus inquam parens, alterâ nunc vice Præceptorem me tibi, tuisque dilectis fratribus præfecit, non quidem eum in finem, ut suum uterque segniter tractet officium, sed ut ambo præstemus gnaviter id, quod nostrarum est partium. Non enim decet nos tempus consumere nihil, vel malè agendo, sed illud ritè collocare, ac strenuè in stadio Christianæ pietatis, reliquarumque Virtutum decurrere, quæ tuam provehere, & exornare maximè valeant nobilitatem. Verissimè namque dicitur: Nobilis est ille, quem nobilitat sua Virtus, quem etiam honor, qui illius est præmium, assiduò subsequitur, & individuo nexu comitatur. Virtuti itaque studendum, & secundum virtutem vivendum.

Vivere autem, & agere secundum virtutem non levis, sed difficilis res est in hac naturæ humanæ corruptione, quam à teneris bonâ disciplinâ, eruditâ doctrinâ, & sedulâ institutione corrigere, compescere, & coercere omni tempore necessitas efflagitat. Eapropter ad Virtutem verè nobilem, quæ est secundum Virtutem, peragendam, de Virtutum exercitio sæpius legendum, assiduò cogitandum, & copiosè dicendum est.

A 3

Ac



ORATIO.

Ac licet de toto Virtutum Choro, deque singulis earundem effectionibus præclare admodum differuerint, laudabiliterq; declamaverint tum Philosophi, tum Oratores adeò, ut haud opus videatur aliquid adjicere; tamen arbitror, non inconveniens fore, si de unâ aliquid tibi suggeratur, siquidem nunc ejusmodi hominum est conditio, ut rerum, quàm nuperrimè dictarum subito obliviscantur, nisi illarum frequentior recordatio, & crebrior, ac ferè usque ad nauseam fiat inculcatio, ut tam in adultis, quàm junioribus spectare licet, contestante id communi parentum ac præceptorum experimento, qui suis eadem dicta & facta creberrimè inculcare & obtundere, ut iisdem aliquando aliquid inhæreat, necesse habent, exemplo Demosthenis, Æschinis, & aliorum græcæ linguæ Doctorum, qui idem in institutionibus & informationibus suorum factitasse leguntur. Hoc ubi non fit, omnis paulatim honesta disciplina effluit, labascit, obedientia refrigescit, animisq; penitus excidit. Idcirco non abs re tua erit, si de hujus Virtutis, quæ dicitur Temperantia, effectis præclarissimis, ejusque vitio contrario Ebrietate nimirum pro tenui Minervâ aliquid ad te perscribam, præsertim etiam eam ob causam, quia nunc temporis apud nostrates hujus Virtutis studium vilescit, & planè concidit.

Quare faciam id, quod mei est muneris, quodque tua nobilis industria, & ingenua Candoris solertia jure quodam tacito à me efflagitat, officii etiam ratio à me maximè exigit, ut aliquid de Temperantia

rantiæ

ORATIO.

rantia amplissima virtute *ἡδονῶν* afferam & quidem paucis rem perstringam.

Est enim tam jucundum, quam utile, ac cum primis necessarium animo subinde instillare, & imprimere fortissime commodum illud, quod ad Virtutum cultores inde promanat.

Ac initio priscorum res gestas inquirens literis proditum reperio, fundatores magnarum urbium, & Rerumpublicarum conservatores cum primis hoc spectasse, quomodo suis sub Imperiis illa Virtus (quæ Græcis dicitur *σωφροσύνη, ἢ σώφρων τὴν φρόνησιν*, id est, quasi servans prudentiam) quam diligentissime commendaretur subditis, & coleretur ab omnibus. Ita enim Æschinem Oratoriæ facultatis lumen illud splendidissimum in medium consuluisse legimus: Civitates maximè in flore futuras, si ibi vigeat studium Temperantiæ, quod in eo positum, *Si inhabitatores justam ac debitam mediocritatem in expetendis & fruendis rebus voluptuariis, aut perferendis iis doloribus, qui ex rei jucunda privatione animo concipiuntur, semper & ubique locorum queant tenere.* Intellexit videlicet Æschines præclaras hujus Virtutis *ἐγκρασίας*, quarum aliquas postmodum ob oculos ponam, si prius aliquid de propensione ad Intemperantiam monuero. Animadvertimus enim doctissimos & sagacissimos Romanos de communi Reipublicæ salute sollicitè, & circumspectè cogitantes hoc notasse inter alia, tantum nempe irritamenti in voluptatibus corporis situm esse, quantum aviditas humana solet concipere maximè.

Inde postea suorummet quasi obliti per præcepta ad omnis generis delicta, & flagitia perpetranda

cæco



ORATIO.

cæco impetu rapiuntur, ac ruunt, malisq; exemplis Remplicam audacter perturbant & contaminant.

Vice versâ haud Sanè multi sunt, qui instructi egregiâ disciplinâ, & cognitione legum sobriè audiunt, & Reipublic: utilem navant operam, ex quâ magnæ commoditates ad subditos etiam redundant.

Non autem dico de modernis Romanensibus, qui huic studio parum, ac ne vix quidem incumbunt, licet se magnopere jactitent; sed illos puto, qui antè, & paulò post Ciceronem vixère, hi illustri exemplo Temperantiæ nobis præluxerunt. Idem non abs re esse judicarunt, certum victitandi modum tam infimis, quàm summis personis, tam populo, quàm militi præscribere, certis mensuris legitimam, & convenientem & quantitatis, & qualitatis portionem obsoniorum, frumentorum & aliarum rerum, pro ratione, & necessitate cujuscunque Ordinis, vel conditionis in esculentis æquè, atque in potulentis demeteri, idque ad Abstinentiæ, Sobrietatis, & Castitatis modum obtinendum, ut hoc pacto etiam rudis & imperita plebecula, nec non alii Incontinentes per hanc Virtutem, nec non per cæteras colendas ad rationabilem frugem ducantur, concitenturque.

Quam consuetudinem nunc temporis Noribergensium Urbs celeberrima præ aliis observare, auditione ex aliis percepimus. Hi procul dubiò ad hanc moderatricem Virtutem præcipuè, ceu ad primordium, & præparatricem angustæ viæ, quæ Virtutum amantes ad omnes bonarum Musarum actiones ducit, quas suis hominibus etiam commendant respicientes magno studio, ut videlicet illam intuendo, & observando

O R A T I O.

observando honestatem legum, utilitatē judiciorum, jucunditatem ocii, possessionem patriæ, frugalitatem denique bonorum omnium sic amplectentur, sic in manibus habeant, sic foveant, sic præsentem osculentur, ut eidem nullam usuram, nullum commodum, vel utilitatem unquam præferre satagant. Et quod etiam fatendum est, liquidò patet, veteres Romanos non tantum commoda hujus præstantissimæ Virtutis sensisse; Sed etiam alios, qui ante ipsos vixere, longâ rerum observatione expertos esse illa incommoda, quæ ex contrariis videlicet Intemperantiâ imbibente Injustitiam instar aquæ, & modum omnibus in rebus transeunte; & *αἰσθησιμότης*, id est, stupore sensuum largiter profluunt.

De illa quidem præcipuè in Ebrietate, quæ, qualia, & quanta nocumenta, & detrimenta procreet, quomodo animi affectus variet, ingenuorum morum curriculo impedimentum injiciat, omniumq; membrorum, corporis harmoniam quatiat, Concordiam, quæ est omnium Societatum vinculum, & nervus, interturbet, labefactet, deprimat, & horribiles distractiones efficiat, Rex Salomon testis fide dignissimus prolixâ serie enumeravit, inquiens: Luxuriosa res vinum, & tumultuosa Ebrietas, quicumque his delectatur, non erit Sapiens. Noli esse in Conviviis potatorum, nec in commestationibus eorum, qui Carnem advescendum conferunt. Quia vacantes potibus, & dantes Symposia, consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Cui vix; Cujus patri vix? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & student

Prover.

Cap. 20.

Cap. 27.

vers. 20.

Cap. 23.

vers. 29.

B

Calici-



O R A T I O.

Calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vino color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ut coluber, & sicut vipera venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa, & eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dices; verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando evigilabo, & rursus vina reperiam? Propterea Regibus vina dare prohibet generosa quædam Mulier, quæ dicit: Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum est secretum, ubi regnat Ebrietas, Ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutant causam filiorum pauperis. Hæc sanè est perspicua, & evidens exclamatio, describens Intemperantiæ effecta.

Cap. 31.

*Syracid:
Cap. 19.
vers. 1.*

*Augusti-
nus.*

*Gregor:
Basilius.*

Idem Ecclesiasticus liber confirmat, idem S. Patres uno ore mecum fatentur. Ecclesiasticus quidem ita inquit: Operarius ebriosus non locupletabitur: vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos. Et D. Augustinus dicit; Ebrietas est vile sepulchrum rationis, furor mentis, Ebrietas multos subvertit, sensum minuit, ægritudinè inducit.

Ex Ebrietate multa mala proveniunt. Primum enim gravat naturam, unde dicit Gregorius: Quantò Corpus impletur; tantò Anima minoratur. Ebriosus cum putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis, cum avidis faucibus properat, ut glutiat escam, repentè hamum intra fauces reperit; ita & ebriosus intra se per vinum suscipit inimicum, qui intra eum morans impellit ad omne opus nefandum.

Deinde

ORATIO.

Deinde Ebrietas incendit luxuriam. Venter *Hieron.*
enim mero æstuans citò spumat in libidinem. Ebrie-
tas gignit furorem, & libidinis flammam. Ergo *August.*
noli vino inebriari, in quo est luxuria. Diabolus si- *Ephes. 5.*
quidem facit, sicut auceps, qui aves nititur ad locum
congregare, ut illic illaqueentur, & capiantur: ita
Diabolus nonnullos capit potus excussu, & temulen-
tiâ: alios vafro, & callido quodam astu; alios sibilo
serpentino, & morsu venenoso, ut patet *Genes. C. 19.*
de Lotho, alios allicit tumultu, & homicidio.

Præterea Ebrietas facit hominem servum pec- *Galenus.*
cati. Nulli peccato potest resistere, qui captus est
hoc vitio, siquidem Diabolus tenet eum per os, &
ducit eum, quò vult. Ebrius est servus omnium pec-
catorum, quia ex quo Diabolus cepit portam clau-
stri, facile totam familiam suam introducit. Igitur *Seneca.*
voluptates inter res vilissimas præcipuè extirpa. quæ
more latronū in hoc nos complectuntur, ut jugulent.

Accedit etiam, ut reddat hominem insanum, *Tullius.*
& Ebrietas nihil aliud est, quàm voluntaria insania.
Rectâ enim mente uti, non possunt multo vino, & ci-
bo repleti, quod probat *Oseas C. 7.* dum dicit: Cepe-
runt Principes furere à vino. Ebrietas ita mentem *Isidorus.*
alienat, ut, ubi sit, nesciat, unde nec malum sentitur,
quod per Ebrietatem committitur. Ebriosus putat, *Basilius.*
se aliquid optimè agere, cum fuerit in præcipitium
devolutus. Quare Ebrietas nedum temporalem,
sed æternam pœnam inducit, quia consueta Ebrietas
morale est.

Ad hæc parat Ebrietas egestatem. Qui diligit *Prover.*
epulas, in egestate erit. Qui amat vinum, & pingua

B 2

non

94

ORATIO.

non ditabitur. Ex quo patet, quòd Ebrietas omni latrone crudelior est, primò, quia aufert bona spiritualia, deindè quia, quem capit, periculosius tenet.

Oseas. Postremò Ebrietas gignit famem. Comedent, & non saturabuntur, inquit Hoseas. Voluptas habita famem, non saturitatem parit, sed factorem, &

Hierony. corruptionem. Si quis haberet vas, quod corrumpere vinum, quando esset infusum, stultus esset, qui de meliori in eo infunderet. Tale vas est corpus humanum, in quo, quicquid infunditur, totum corrumpitur, & foetidum efficitur. Ebrietas est blandus Dæmon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui in se habet, se non habet; quam qui facit, non facit peccatum; sed totus est peccatum. Ubi Ebrietas, ibi furor dominatur, ibi nulla Sapientia. Oblivio autem Comes est Ebrietatis. Si illos fatuos vocamus, qui à nativitate sensu caruerunt, vel qui morbo aliquo sensus amiserunt: multò rationabilius, qui propriâ voluntate sensus amittunt: Et ut omnia illius præmia summatim enuncientur: Ebrietas iram DEI provocat, mentem alienat, libidinem inflamat, corpus enervat, substantiam dissipat, pacem superat, secretum manifestat.

Pari fermè ratione Philosophi, ac Medici eam describentes dicunt, esse summum malum, & vivum hominis venenum. Affirmant enim, Ebrietatem primitùs corrumpere ventriculum, dissolvere temperamentum Epatis, & destruere vim vitalem, unde Cruditas Ebrietatis filia, & Hydrops ex mala coctione generatur. Dehinc per assiduos vapores ascendentes corrumpi temperamentum Cerebri.

Insu-

ORATIO.

Insuper lædi nervos, & fieri laxiores, unde in
helliouibus, & luronibus omnia membra videmus
tremula, imprimis manus, pedes, & caput. Nervis
enim in cerebro corruptis podagra, & chiragra morbi
admodum molestissimi promanant.

Denique adserunt Philosophi, Ebrietatem pro-
creare pallorem ratione malæ concoctionis, quia
non verè generatur sanguis, efficere pendulas genas,
ulcera oculorum, tremulos manus effundentes ple-
na, esse præsidem furialis somni propter perturbatio-
nem Spirituum, unde inquieta nox, & alia incom-
moda. Idem scribunt, Ebrietatem esse libidinem,
portentosam, jucundum nefas, scelerum effectricem,
omnium rerum fermè oblivionem, mortem memo-
riæ, nec non sæpè mortis repentinæ causam.

Nam cadit in puncto, quod non speratur in anno.

Talem sationem subsequitur ejusmodi messis,
in qua uberrimæ colliguntur, & invehuntur fruges,
quibus jam temporis fervido appetitu arreptis pro
Temperantiâ passim onerantur ingenia alioquin
bona, & obruuntur incautè, quam passionem demum
cum gemitu, & lachrymis frustra deslere solent, dum
ceu variis plagis oppressa operari non possunt, & mul-
tis peccatis vulnerata Diabolo resistere nequeunt.

Et quamvis nonnulli inveniantur, qui ejusmodi
Ebrietatis effecta non tantum extenuare, sed etiam
magnoperè deprædicare, eidemque singulareis, & sa-
lubreis quasdam commoditates ad sanitatem con-
servandam adscribere non verentur, utpote, quæ cu-
ras deprimat, omnem animi cruciatum eluat, &



ORATIO,

animis animum addat, vomitionem excitet, ut ventriculus à cruditatibus liberetur, & purgetur: tamen sciendum est, quod in his, quæ contra naturam, nulla sit laus, multò minus durabilis prosperitas speranda, siquidem hac ratione vis violenta infertur naturæ.

Bruta animalia in his sunt *σοφώτερα* hominibus, Edunt enim, ac bibunt, quantum satis est, ac naturæ suæ conducit.

Homines verò nec modum comestationis, ac bibitionis servant, sed plus infarciunt, & infundunt, quàm corporis capacitas, & naturæ necessitas requirit. Atqui quid profit, vel obfit Intemperantia, ex jam allatis rationibus haud obscurè patet.

Sequuntur nunc *ἀνασθησις* mala, quæ ex Ebrietate proveniunt.

Aufugit etiam ab Ebrioso repente verus intellectus, & germanus naturæ sensus, cui succedit confestim stupiditas, per quam diu subsistere, & commodè agere nequit. *Discere nil poterit xito, vinoq; repletus.*

Nam ubi corpus cibis distenditur, & nimio potu madefactum est, ibi nulla potest esse intentio, nulla cogitatio de rebus arduis, Ebrius namque sensibus suis uti non potest, estque verè insanus homo, dum non modo corpus infestatur; verum etiam animus, qui, quoties potu obruitur, toties non solus patitur perturbationem, & obscuracionem, sed simul etiam molestatur, & enervatur corpus, inde postmodum contingit id, quod Terentius, & Virgilius graphicè descripserunt.

Neq; pes, neq; mens, satis suum officium facit.

Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Verum

O R A T I O.

Verum ab eiusmodi impedimentis, & retinaculis omnibus, quæ ex crapula oriuntur, quilibet immunis esse potest, modò studeat Temperantiæ, quæ inter reliqua attributa hoc habet peculiare, ut ostendat studioso adolescenti modum compescendi rebellem voluntatem, eamque subigendi rectæ rationis dictamini, quo sub ipsius regimine reliquis Virtutibus quàm rectissimè studere, & singularum rerum *περιστάσις* pressius attendere, omnia debitâ curâ, modestiâ, patientiâ & alacritate expedire, nec non cœlestia, qualia sunt; ordinatio motuum cœlestium, virtutes elementorum, vices temporum, fecunditas terræ, propagatio specierum, totusque naturæ cursus, accuratius contemplari potest, id quod in Intemperantiæ squalore, & tumultu haud fiet. In via aliâs ad Virtutem est via, etiamsi *φιλότροπος* non plura sibi creet obstacula, quò minus laudem illam, quæ in Virtutis actione consistit, consequatur.

Aspiciendi sunt mechanici, vel opifices, qui curam, cogitationem, & sedulitatem non levem suis operibus perficiendis impendunt.

Illam namque cuncta non Ebrii, sed Sobrii aggrediuntur, quò singula citius, & ornatus elaborare queant. Quantò magis singulos, & omnes Virtutum amantes decebit sedulò eniti præ his, ut hujusce Virtutis adminiculis ad reliquarum Virtutum cultum quoque perveniant. Moralem enim felicitatem nemo facilè assequetur, nisi Sobrietate, tanquam gubernatrice fuerit instructus, qui præcipuè naturales cupiditates in moderata absentium voluptatum expeditione, & præsentium fruitione regat, & flectat
primum

O R A T I O.

primum ad modicam expetitionem solum honestarum, & licitarum Voluptatum ita, ut propter illas nihil committatur, quod vel famæ, & existimationi officere, vel Valetudinem, & Corporis vires lædere, & debilitare; vel rei familiari damnum aliquod adferre possit. Sine hac cæteræ Virtutes vanæ, ac pernitiosæ sæpius reperiuntur, quippe quæ per ambages, & molesta spineta beatitudinem popularem gravissimis venantur laboribus.

Atqui hæc aliarum Virtutum indagatrix, vitiorum expultrix est etiam in rebus ipsis. Nam dum Virtus, & vitium inest rebus, & actionibus, Temperantia quoque Virtutum, & vitiorum circumstantias voluntati patefacit, mores corrigit, vitia purgat, vitam emendat, propositum ad meliora convertit, atque omnia, quæ intra nos, vel etiam extra nos geruntur, sedulâ circumspeditione moderatur, ut omne, quod in homine est beluinum, & ferinum à naturâ separans, siquid Lenitatis, & Mansuetudinis est, siquid homine dignum, & DEO charum, pro illis omnibus inferat, æquumque iudicium inter animas habeat, & corpus. Ac proinde tanto intervallo anteponenda est unicuique Virtutum generi; quanto Anima corpori, cunctisque rebus præstat.

Hæc juvenes erudit non modò ad corporis patientiam; sed etiam ad Animi continentiam. Rex Alexander propter hanc, & alias Virtutes cognominatus fuit Magnus, ac tantisper magna peregit, quamdiu *σωφροσύνην* invigilavit. Ut enim ebrietas destruit tam Corpus, quàm Animam, & ducit ad interitum: Sic Temperantia conservat utrumque in
uigore,

O R A T I O.

vigore, & flore, & ad felicitatem aptissimè erigit. Hæc est ceu providus, & prudentissimus Medicus, qui corpus ægrotantis diligenti contemplatione, & attentione aspicit, & observat, observata annunciat, annunciatorum meminit, & quæ ex usu, & comodo sunt, postmodum suscipit, noxia verò renuit, procul abigit, atque propellit. Quin & Corpus non solum tuetur; verum etiam Animum, ut is mundo, & sereno habitaculo semper utatur, fruaturque, per quod velocius, feliciusque objecta beneficio exteriorum sensuum adipisci, adepta meditari, meditata demum intrinsecus formare, atque in actum producere valet ita, ut in ulla parte vel defectu, vel excessus minimè deprehendatur, sentiaturque. Etenim Animi instrumentum est Corpus, & hujus servitio (juxta Salustii elogium) magis utitur homo, quam illius imperio.

Sin verò Corpus ab ingluvie, crapulâ, & aliis vitiis turpiter contaminatur, conspurcatur, & deperditur, quid quæso miserimæ animæ obtinget? quid patietur impedimentum? quid boni per ejusmodi organum efficiet? nonne tota natura multis squalidis humoribus, & vaporibus madida, obducta, & quasi sepulta jacet, languescit, torpescit, ac dolet? Profectò ipsi accidit hoc, quod quispiam Poëta eleganter complexus est hisce versiculis.

Ebrietas victos sibi subjicit improba sensus,

Seque velut Dominam mentis in arce locat.

Et vitium tantò sceleratius esse putatur,

Quantò, qui peccat, major habetur homo.

Quid quæso molestius, quid perniciosius in vita homini eveniet, quam istâ deperditâ ἀκολασία, omnium honestarum actionum, & virtutum vastatrice capi, perpetuoque captivum teneri?

C

Est

ORATIO.

Est enim velut astuta, & dolosa vetula, quæ homines à fronte suis blandimentis, & technis sibi familiares, & subditos facit laudando sua eximia bona, ac dona, donec ipsorum animos declinat, atque capiat, illisq; re ipsa exitium inferat. A tergo verò resti ipsorum collibus clam injecto deinceps hinc inde agitare, & raptare solet tam diu, quam diu carnis, & ossium quid est reliquum.

En fructus, En ornamenta, ecce commoda præmemorata ἀπολασίαις.

Quis huic hosti non adversari, quis eidem bellum non indicere, quis eidem præmeditatis consiliis non persequi mallet, quam perpetuum silentium alere, ac serenum vultum obtinere? Quis ejusmodi hospitem planè non exauctoraret, & suâ domo non extruderet, qui (ut Horatius inquit:

————— *Operta recludit.*

Spes jubet esse ratas, in praelia trudit inermes,

Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Contracta quem non in paupertate solutum?

Quis non longum vale diceret isti vitio, quod D. Augustinus nominat blandum Diabolum, dulce venenum, amabile peccatum, naufragium omnis modestiæ, & honestatis? Quis matrem omnis tristi-
tiæ, & radicem omnium malorum, (ut Chrysostomus ait) non ablegaret, & repudiaret? Certè nemo facile inveniretur, qui extemplò non exclamaret, se hoc facturum lubentissimè.

Sed quid vitium, & non potius abusus rerum voluptuariarum reprehendatur, ex quo moralium

Virtu-

ORATIO.

Virtutum singularis negligentia colligitur, & elucee in iis, qui in cautæ juventuti sub specioso civilitatis pallio calliditates populares, & vana Empiricorum deliramenta, in quibus Juvenes consenescent, proponunt.

Politicis altum est silentium, ut ejus (nec sine bonæ disciplinæ detrimento) vel minima habeatur ratio, cum tamen ad eam acquirendam danda esset diligens opera, quia felicitatis politicæ fundamenta ex scientificis fontibus magis, quàm ex consuetudine populari, vel verborum lenociniis comparanda sunt. Taceo, quia (heu) sunt multi insignes, ac præstantes homines, qui vix Temperantiæ operam accuratam navant.

Non propterea damno reliquas scientias, quæ Animum ipsum disponunt, & adigunt ad usus, & actiones Virtutum Moralium, & Intellectualium, vel ad usum perfectissimæ Virtutis, quæ est moralis felicitas. Omnia enim non modò, quæ theoreticæ: sed etiam, quæ practica sunt, ad utilitatem hominis (licet eis abutatur interdum) inventa creduntur. sed profectò se assiduò in eis exercere, nonnunquam nocere potest, quia continua rerum terrenarum consideratio plurimum à felicitate morali detrahit. Quæ enim societas Temperantiæ cum Temulentia. Intra terminos nostros manere oportet, nec licet cantare canticum Domini in terra aliena.

Nec eos propterea probo, qui ceu bene morati Virtutes (quas morales vocant, & circa externa actionum elementa versantur) calumniantur, lacerant, ac de eisdem triumphant, dicentes: Sicut in



ORATIO.

Corpore humano cerebrum, & Cor principalia membra sunt, à quibus universum hoc corrigitur: tamen nisi essent & dentes, & lingua, & pedes, & manus, & digiti, Corpus ipsum non satis suum officium faceret, aut diu stare valeret: In hunc quidem modum humanus intellectus hujus virtutis cognitione, & operatione perficitur, & quasi per gradus quosdam ab appetitu ad rationis facultatem deducitur, ibidemque summà felicitate potitur, ac beatur.

Omnes quidem Virtutes laudandæ sunt, omnes amplectendæ, omnes denique honorandæ: Ea tamen ratione, ut Temperantiæ omnium præstantissimæ (cujus moderationis adjumento indiget, ac utitur totus virtutum Chorus) unicè subdantur, eique famulentur, ex qua sola est fructus cunctarum actionum, ut per omnes informetur mens, custodiatur Corpus, frenetur appetitus, componantur mores, comparentur necessaria, quæ sunt in unione, & usu intellectus, & actus. Sunt enim individua Comites notitiæ, & actiones, unde in hujus Virtutis penetralia nullus immundus, & illo tus irrumperere debet, cum mundandæ, & agitandæ Menti potius, quàm inertia vacandum sit, quia, si quis non erit Scipio, vel Joseph castus, sufficiat ei, si non sit infans, & ἀργον, si non habet tot millia rerum laudabiliter gestarum, ut Alexaneer Magnus, sive Augustus Cæsar: satis ei sit, si non careat Virtutum laude, & honore. Satis honoratus, qui honore dignus est; satis magnus, qui regere novit; satis potens censendus est, qui suis Cupiditatibus imperare potest.

Verum

O R A T I O.

Verum enimvero (ut uno verbo dicam) quicquid boni, quicquid justī, quicquid honesti animus strenui adolescentis feliciter, & laudabiliter vivendi cupidus optare potest, in hac sola facile reperiet. Hæc n. est teu panis amantium virtutē, qui vescentibus nunquā tædium, vel nauseam parit. Et sanè ita est, quia *ἐνέργεια* ejus nutrit, ejusque actio oblectat, & faucibus appetituum ita accommoda est, multisque modis pravos, ac dissolutos hominum mores regere apprimè tentat, ut nihil vel gravius, vel vehementius nocumentum inferre possit. Quamobrem adepta est illustrem à tempore denominationem (ut quidam putant) dum tempus quodq; observat gnaviter, & pro sua occasione, & ratione rerum actiones moderatè variat, ac vertit.

Cui ergo hæc Virtus non placeret, quæ exercendo non animum tantum; sed corpus ipsum vegetare, & nutrire censetur? Nemo Juvenum est laudabili ingenio insignitus, qui hujus Virtutis instituta avidissimè non amplectatur. Nam omne genus Virtutum, tum Intellectualium, utpote Scientiæ, Sapientiæ, Intelligentiæ, Artis, & Prudentiæ: Tum Moralium, nempe Fortitudinis, Liberalitatis, Magnificentiæ, Magnanimitatis, Modestiæ, Mansuetudinis, Humanitatis seu Comitatis, & Affabilitatis, Veracitatis seu Candoris, Urbanitatis, & Justitiæ, quæ, quamvis sine Constantes animi habitus humano studio, & longâ assuefactione acquisiti: tamen Temperantiæ regimini subjectæ esse videntur, nec non ipsa amicitia, quæ multum confert ad bene, beateque vivendum secundum naturam omnibus omnium ordinum.

C;

homi-



ORATIO.

hominibus, adolescentibus, & adultioribus, senibus divitibus, & potentibus, pauperibus, & afflictis, imò Civitatibus ipsis, quibus per necessaria est, moderatissimâ hujus appetitus censurâ carere posse minimè putanda est.

Et quanquam una quæque harum Virtutum suum habet peculiare objectum, quo à Temperantiâ dispescitur; tamen cum illis ita comparatum est, ut hæc sola ceu gubernator navium reliquis omnibus imparet.

Neque hanc nostram assertionem infringet, & evertet objectio illorum, qui justitiam cunctarum Virtutum præfidentem, ac Rectricem statuunt juxta versiculum: *Justitia in sese virtutes continet omnes.*

Hoc enim tantum intelligendum est ratione, distributionis, & externarum dispensationum in actionibus, quas respicit Justitia. Atqui Temperantia præbet judicis sensui modum rectè appetendi Justitiam, & justa, absquè perturbatione, & affectu, quem Temperantia suaviter conservare, & illæsè tutari videtur.

Nec etiam nostram sententiam enervabunt communes illæ ἀντιλογίαι, quando dicitur: quod nemo possit continuò, & semper esse Temperans, quodque Temperantia noceat, quippe quod per eam aliquid subinde decedat naturæ, & fiat corporis diminutio, & quod sæpius incidat ratio, ut quispiam ob conservationem naturæ omnes Virtutes negligere, & postponere, nec non propter defensionem vitæ suæ septem præcepta violare cogatur.

Sed

ORATIO.

Sed hæc monstrosa problemata non movent nos, quia extra forum Ethicum sunt constituta, nec in Ethicum hominem cadere videntur.

Idcirco isthæc digna non judico aliquâ solutione, vel responsione, at saltem dico: Virtutis amator semper apud se est. Temperans est virtutis amator. Ergo Temperans semper sibi constat. Appetit enim, quæ decet omnia: & quomodo, & quando decet, ac oportet; quemadmodum etiam ratio præcipit ἀνδρίζειν ad sui ipsius conservationem, ad proximi dilectionem, & ad DEI gloriam.

Sapiens enim, quem gubernat Temperantia, pro temporis, ac loci, personarum, ac rerum Conditione, situ, ac statu mores sine vituperio, & Crimine sapienter mutat. Propterea modicè semper vivit, & est φιλομαθής, πολυμαθής, πολύτροπος, φιλόπυρος, καὶ ἀλεξίκακος. Talis habet beneficio Temperantiæ exercitatos sensus ad discretionem boni, vel mali, veritatis, & mendacii.

Temperantiæ studium est homines ad odium, & detestationem vitiorum accendere, mentes eorum, & reconditos sensus custodire, sermonem suum aptare singulis opportunum, & vincere eos, qui se malè carnaliter amant.

Temperans cavet omnia agere, quæ ad pœnam trahuntur, vel gravissimâ Legis animadversione plectuntur.

Temperantiâ præditus potest stare in tentatione, quam producit exercitus septem vitiorum mortalium, ut superbia, Invidia, Accidia, Ira, Avaritia, Gula, Luxuria.

Hic

ORATIO.

Hic valet hominibus præesse, Animas moderari, thesaurum Scientiæ, vel doctrinæ, & veræ fortitudinis tractare, quæ animo præfenti adversarium à se quàm longissimè amovet, aras, ac focos, bona Spiritualia, & corporalia fortiter defendit.

Temperans optimè potest tractare thesaurum. Animæ preciosæ in fragili corpore; virginitatis in Carne: Gratiæ in Corde: Fidei seu fidelitatis, & Constantiæ in Anima: Benignitatis, & Misericordiæ ad proximum; Charitatis, & Amicitia, ac vitæ Sempiternæ. Hunc, qui invenit, vendit omnia, quæ habet, & emit thesaurum illum. Nam ipsius Substantiæ qualitas multò est præstantior, & finis rerum multò preciosior.

Verum quâ ætate hoc summum studium aggredi debeas, non est mihi tutum Consilium determinare. Hoc solum dicam, sive à teneris, sive in Ephæbis incipias, semper id opportunè fecerit. Nunquam enim intempestivè fit, quod salubriter fit. Commendat bona indoles quemque, quod à pueritâ Virtutum actiones dilexerit, nec ab ætate, vel ingenio, sed maximè à Rectore, & Duce aliquo Virtutum (sine cuius instinctu, & incitamento inanis est labor omnis, & industria) petendum est Consilium, quo instrui debent hi, qui Virtutum actiones operari, & per eas alios excellere in Animo habent, juxta illud Horatij:

Et mihi res, non me rebus submittere conor.

Quare consultum erit, si adolescens hanc unam, tanquam fidam, & probatam Magistram habeat, quâ duce doctrinam moralem facilè imbibet, & qui semel imbiberit, dilucidè præcipiet, atque aliis explicabit.

Dici

ORATIO.

Dici non potest, quantum compendium, & utilitatem allaturū sit, si semper paratus sis, ac promptus ab aliis discere cupias. Ita amica Virtutum harmonia, vera actionum *ἐπίεξη*, & bene moratorum hominum frequens, & jucunda conversatio molestias omnes dissolvēt, & si quid difficultatis tibi obviam venerit, è medio tollet.

Sed ne longius justo excurrat, & divagetur mea oratiuncula, Coronidis loco usum Temperantiæ non recentem, sed antiquum, non Philosophicum, sed Theologicum, qui DEUM respicit, adjiciam, eumq; non copiosè, sed parcè proferam prius, quàm hæc *παράκλησις* concludatur.

Est quidem universa scriptura Prophetarum, & Apostolorum passim referta multis Temperantiæ Encomiis, & exemplis, quæ abundanter hîc recenseri possent, sed ob gratam brevitatem unicum tantummodò præceptum ex Epistola I. D. Petri C. 4. prolatum studiosæ contemplationi, ac meditationi sufficiat, quod ita sonat: *Sitis sobrii, ac vigilantes ad orandum.* Ex quo ultimum argumentum resultat pro nostra re stabilienda, nempe cujus rei gratia Temperantiæ opera danda sit.

Qui hujus rei est ignarus, intueatur, & ponderet saltem hoc dictum, & videbit prænominatum finem, qui est ardens Oratio, quæ DEUM ad misericordiam commovet, ut sua bona tam spiritualia, quàm corporalia nobis communicet, & varias, ac multiplices calamitates avertat, & auferat, quæ nos singulis momentis circumstant, & quotidie infestant. Est namq; hic cultus maxime necessarius cunctis hominibus,

D.

summis



ORATIO.

summis, & infimis; tam magnis, quam parvis; diviti-
bus æquè, atque pauperibus; fortibus simul, ac timi-
dis; Magistratibus pariter, ac subditis; parentibus
unà cum liberis; doctis, & indoctis; similiter bellico-
sis, atque imbellibus; in primis vero Christianis ob-
mandatum, quod habent Psalmo 50. ut DEUM in-
vocent in die tribulationis, ex quâ erepti ipsum glo-
rificent assiduò.

Jam autem ad hoc arduum munus subeundum,
cum primis opus est sobrietate, & vigilantia, secun-
dum D. Petri exhortationem propter preces ad DE-
UM seriò fundendas. Hæc si aberit, nihil rectè pro-
pter mentis perturbationes fieri potest. Etenim
DEUS ebriosorum preces, quæ ipsi sunt abomina-
tio, non exaudit, sed ut ipse est Mens purissima, &
Spiritus Sanctissimus: ita etiam in Sobrietate, & San-
ctitate, in Spiritu, & Veritate coli, & adorari vult.
Ergò ut hoc munus rectè, ac sedulò administretur,
non parum, quod præ reliquis, quæ etiam gravia
sunt, singulos, & universos ad Temperantiam exti-
mulare debet, requiritur.

Et principaliter quidem gubernatio, & auxili-
um Spiritus sancti, qui non ebrius inhabitat. Siquidem,
qui carent hac Virtute, non sunt participes Regni
DEI, multò minus Spiritus Sancti, qui hanc in Chri-
stianis oportet.

Deinde hujus Sanctissimi hospitis habitaculum
servetur mundum, quia solum piis cohabitatur, nec
intrat in Animam perversam, inquinatam, & perti-
nacem.

Denique



ORATIO.

Denique requiruntur ad preces decenter, & piè peragendas motus Cordis constantes, juxta versiculum:

Ante DEUM stantes, non sitis corde vagantes.

Vitio enim, ac probro vertitur non levi coram mundano Principe, vel seculari Domino stare, perturbatisque gestibus negotium peragere, nec vultu, nec facie ita se exhibere posse, ut ipsi placeat. Certè is cum pudore, & jacturâ rem suam tractat, imò causâ excidet, quantò magis dabitur vitio Christianis in conspectu sanctissimæ, ac tremendæ Majestatis illius magni DEI, ac DOMINI nostri JESU CHRISTI, Domini Dominantium, & Regis Regnantium, & in contuitu sanctorum Angelorum se non decenter, & reverenter undiquaque exhibere, & præstare velle, nec posse.

Ac licet DEUS optimus maximus ad cor contritum, & humiliatum respiciat, nec adeò externos gestus, ac mores, qui aliàs coram tribunali DEI nihil merentur, curet: tamen, cum sint in Decalogo præcepti, & mandati, illos etiam à liberali pectore, & sincero Spiritu profectos ad declarandum sui debitum honorem non omninò aspernatur, & reprobatur.

Proinde dignum est, ut quisque summâ Virtutum reverentiâ hunc Dominum, qui est καρδιωγώσης, veneretur, siquidem ipse est Dominus Orbis terrarum, Rector visibilium, & invisibilium, qui neminem se habet superiorem, nec infra se potentiâ, sapientiâ, & bonitate sibi parem, qui est Creator omnium, à quo habemus tam animam, quàm corpus, nec non utriusque alimenta, & tegumenta.

D₂

Denique

ORATIO.

Deniq; etiam utile, ac necessarium est, DEUM singulis momentis, & horis orare devotissimè, & ardentissimè pro sustentatione corporis, & animæ, pro sanitate, pro victu, & amictu, pro defensione, & gubernatione, & pro omnibus, quæ nostræ profunt vitæ.

Hæc autem non temulenter, sed sobriè, ac piè expetenda sunt.

Quapropter æquum, & salutare est, ut huic Virtuti ex præmemoratis causis meritò faveant omnes, ac studeant omnes, imprimis, & maximòperè tum propter seipsos, tum propter proximos, ac præcipuè propter DEUM datorem omnium bonorum, ut quilibet debito more, ac modo cultui divino in timore DEI ambulans vacare, & inservire queat.

Facebant igitur hinc omnes, quicumque Intemperantiam adamant, & summis laudibus deprædicant: Temperantiam verò extenuant, & ab ejus cultu abhorrent, eamque ceu vilem, & inutilem in hac imbecillitate naturæ censendam, & seponendam autumant, qui non tantum virium, quantum in ipsis est, ad hanc Virtutem amplectendam, & excolendam sedulò, ac semper conferunt, & propter DEUM, & propter suam ipsiusmet salutem, & Reipubl. ædificationem non intendunt, haud perpendentes hanc Virtutem, quæ ceu clavis, & janitor est, ad arcem reliquarum Virtutum se extendere, etiam omnes indiscriminatim homines, cujuscunq; ordinis, vel conditionis sunt, suis ἐπεργήματα non tam exornare, quàm ad reliquas artes, & studia tractanda promptos, & paratos reddere.

Sed



ORATIO.

Sed hæc de Temperantiæ studio simpliciter, ac succinctè dixisse sat est.

Nunc vero ad te, nobilissime, & solertissime Andrea, adolescens dilectissime, hæc tibi oblata, & donata oratiuncula se vertit, teque semel, ac semper tam admonitum, quam excitatum cupit, ut huic Virtuti accuratè excolendæ omne studium, curam, cogitationem, & sollicitudinem tuam impendas, memor tui, & illarum evidentissimarum rationum, suprâ ordine qualicumq; memoratarum, quæ hujus moderationem satis dilucidè probant.

Non dubito de tua diligentia, & fervore, quem geris erga honestam disciplinam, & doctrinam, quin hoc ipsum ages, hoc curabis, in hanc conatus, cogitationesque tuæ omnes semper evigilent, ut tum hujus, tum cæterarum virtutum studia tuis nobilissimis parentibus, & amicis, & ipsi DEO opt. ter Maximo laudabiliter ferviant, cui omnia honoris, omnia Virtutis, omnia ingenii sine ulla exceptione, ornamenta debentur.

Adsuesce igitur, adsuesce Adolescens optime, Virtutibus, ac imprimis huic moderatrici, dum ætate flores, quâ perpetuò secundum Virtutis Cynosuram viriliter agere, ad summa laudum, & honoris fastigia heroicè ascendere, & diutissimam, felicissimamque vitam laudabiliter adipisci, & transigere poteris.

Quod si hanc meam *requisitionem* moralis obedientiæ studio expleveris ardentissimo, & secutus fueris,

D 3

reipsa

ORATIO.

seipsa experieris, te suscepisse, & tractasse laborem,
nuspian pœnitendum, sed magno lucro, & scœnore
adeptum esse eam felicitatis civilis metam, quam
rationes superiùs citatæ indigitant, atque
certò pollicentur.

D I X I T.

IN RHINOCEROTEM.

HÆc si legisti Zoile, Ne te mali moles gravet,
Ac fronte servasti pro- Ac MENS luat, corpus cadat
(bè, Temnendo candidas preces.
Intemperantiam fuge, Nam damna ledüt firmiter,
Sensata nec ceu absona Notas inurunt fortiter.
Atroce labro contere.

Ergo his libratis improbum
Dentis rigorem semove,
Nasum tuum ritè tene,
Pacem cupis si floridam,
Semper, valens sis, nitere.

Christianus Gertner VVolgastensis
Pomeranus.



IUVEN.



I V V E N T V T I .

Ponitur hîc limes certo discrimine finis,
 Intra quem virtus sobria sistit iter.
 Forsitan hoc, prisco vixerunt more, sub auro,
 Hæc procul à nostro est tempore Simplicitas.
 Quem res non Genio finit indulgere, bibaces
 Increpat, Id curat (scilicet) Ebrietas.
 Vos Pueri, tenero, quos discere præstat ab ungue;
 Aurea, quæ veri norma, Magistra docet.
 VOBIS scribuntur, VOBIS hæc candidus auctor
 Qui bene vult, donat, dum bene multa monet.

A U C T O R I .

Intemperanter INTEMPERANTIAM laudas,
 Cupisq; credi. Nempè fabulam surdo
 Narras. Parùm prout quidem pij nunc sunt,
 Laudaberis, dic uspiam locum, nonne
 Intemperans est Temperantia hîc passim?

Gratia Redemptoris Mea Salus.



SM




Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

INVENTAR

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Additional faint, illegible text located in the lower middle section of the page.



AB 755 042

ULB Halle 3
002 417 774




86

12. 1.9.99 M







24
23⁶

**ORATIO PA-
RÆNETICA AD**
VIRTUTEM TEMPERANTIAM
excolendam paucis annis ab hinc in Genſa ſuo
discipulo fidelis institutionis, amoris, &
perpetuæ recordationis ergo perſcri-
pta, dedicata, & nuncupata;

NUNC AUTEM DENUO
RECOGNITA, ET PLURIBUS IN LO-
cis emendata, ac ſub celebriſſimi Gymnaſij Partenopo-
litani inſpectiōne, tutela, & deſenſione Reverendo-
rum, & Clariſſimorum Virorum venerandi Mini-
ſterij Eccleſiaſtici; nec non Spectatiſſimi, Conſultiſ-
ſimi, & Ampliſſimi Senatus Magdeburgenſis typis
tertiâ vice impreſſa, & ſuperioris ſubjecti nomi-
ne non mutato Scholæ ibidem diſcipulis pri-
mariis aſſcripta, & dono data

à
PETRO PAVCKERO P.
MAGDEBURGI,

Apud Hæred. Andreae Gehnen, Anno 1610.